Nobilissimo clarissimoq. viro
D. CONSTANTINO HUGENIO Eq.
Zulichemi & Zeelhemi Domino &c.
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni, quod per aestatem omnem egerim Harpocratem, duplex exspectatio in caussa fuit. Una illustrioris Victoriae, altera Editionis Poëmatum meorum. Illam fortunae bellicae, hanc typographorum lentis operis imputo. ab utraq. poteram scribendi argumentum nancisci. Iam, cum priori satisfecerit divinus favor, posteriori illud hominum genus, quod praeter morem suum commotior Erasmus dixit non uno dignum suspendio, loquor. praeterquam quod per haec tempora per Occidentem omnem raptus non fuerim domi, ut Belgarum licuerit meminisse. Quae in Hulstam scripsi, rogo veteri tuo more tradas Celsissimo Principi, ubi opportuni erunt aditus. Demostheni somnum adimebant Miltiadis trophaea, & mihi veternum Auriaci. In oculis turrem Antverpiensem habet Princeps noster, in votis ac spe Antverpiam ipsam. Et possum ego ex eius clade mihi aliquid polliceri, si quando ad Foederatos devolvantur culinarum D. Michaelis, qui Christianorum Perseus est, opimi reditus, aut alterius cuiusdam sine meo suffragio in Sanctos recepti. Forsan me Iesuitici Collegii professore dicere habebit Löyolita aliquis: Quis novus hic nostris successit sedibus hospes! Quid si fasces ambiam! Antverpianus sum, non Hobocae aut in paludibus Kempensibus natus. Si dubitas, crede titulo. Poëmata mea, quae in duo excrevere volumina, N. T. ea qua decet veneratione offero. nuncupavi illa duobus apud me Sanctis, hoc est à populo secretis. Qui isti sint, loquitur altera à fronte pagina. Mihi hic à Te habitus honos, ut in Poëmatum tuorum

Hug. 37

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 172
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4214

frontispicio ostendere nomen meum. Quare, sine, ut tuo
potiùs superbiam et qua sim apud te admissione &
gratia indicem pluribus. Caussas alias dicet Dedicatoria.
Ut ad schedas tuas veniam, crescunt victoria Principi,
et tibi carminis vis. illi laus ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς,
tibi in cuspide Epigrammatis. Quam non pulverulentum
illud de pulvere, hoc est, laudum divinarum materia.
quod acumen non Romanis sed Belgis debes, ut et
illud de Hulsta arbore. Quàm non vana est illa ad
Antuerpiam Barendsis, quam ego sororem, quàm servam
malim. Legi haec cum Hoofdio, Vossio, Mostartio, Vondelio,
licet hic argumenti impatiens sit. Hoofdius ex illustri
morbo iterum convaluit. non benè convenit Capiti cum
pedibus. etiam Alopeciam exercuit Celsissimus iste, aut
potiùs imæ partis dolor. Illustrissimo Comiti Mauritio
dicas velim, me è Brasilia rediisse domum et iam mea
convasare. Exemplaria mitto tria fulgidiore veste,
Principi patri, Filio & tibi singula. reliqua amicorum
sunto. Si istic est Ampliss. Hogendorpius habeat à me
exemplar.
Vale Nobilissime et praestantissime Hugeni, et
valeat poëta iste non ἄδηλος, qui matrem vult
ea pati, quæ nefas dicere. mallem illum id facere
ter. Longæ, nisi mihi illas partes dari ferat patienter.
Amstelod. XXII Novemb. CIƆIƆCXLV.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 172
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4214

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 172
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4214

Nobiliſsimo, clariſsimoq. viro
D. Conſtantino Hugenio, Equ.
Zulechemi & Zeelhemi Domino, &c.

port.

Hulſtam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 172
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4214